tio & deciſio, ſententię promulgatio & executio.

35. *An proceſſus ille ſit diu duraturus?* Minime. Nam ſubito hęc omnia perficientur, virtute Dei omnipotentis, qui neſcit tarda molimina.

36. *Cur de vltimo iudicio nos certos eſſe oporteat?* Vt ſemper in memoria circumferamus efficaciſſimum hoc argumentum impellēs ad odium peccati & ſtudium ſanctimoniæ.

37. *Cur Deus bis iudicet hominem; ſemel in morte, & iterum in fine ſeculi?* Quia judicium illud in morte eſt particulare, occultum & imperfectum.

38. *Cur ſtatus piorum poſt hanc vitam dicatur vita æterna?* Quia vita 1. eſt actus. 2. eſt omnium in hoc mundo amabilium amabiliſſimum. Deinde quia vita æterna eſt actus indeficiens.

39. *Quotuplex ſit vita hominis?* Quadruplex: puta naturæ, gratiæ, gloriæ, & anguſtiæ ſeu miſeriæ. Vita naturæ eſt communis omnium: vita gratiæ eſt electorum in hoc mundo verſantium, qui dicuntur viatores: vita gloriæ eſt electorum in cœlis, qui dicuntur comprehenſores: vita anguſtiæ ſeu miſeriæ eſt tum electorum in hac vita, varijs preſſuris exercitorum; tum